



in alpium saxosis. Floret Junio. Julio semina perficit. Culta planta habitum haud mutat, æque pumila manet, sed flores sæpe ampliores producit plenioreque.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA.

HIERACIUM MONTANUM.

Hieracium caule unifloro; foliis caulinis ovato-lanceolatis, dentatis, amplexicaulis. *Hall. hist. helv. num. 38.*

Hieracium alpinum glabrum; flore singulari, cauli magno cubitali folioso insidente. *Raj. syst. extr. p. 144.*

Hieracium latifolium montanum præaltum glabrum endiviæ folio. *Bocc. mus. pag. 148. tab. 113.*

Hypochæris pontana. *Linn. syst. pag. 526.*

Radix perennis, longa, digitum crassa, teres, foris nigricans, intus albicans, lactescens, foliorumque reliquiis præteritorum coronata, caulem simplex unicum, aut multiceps paucos producit erectos, simplicissimos, flore solitario terminatos, raro duobus ex ramo superveniente præditos, striatos, villosos, inferne imprimis foliosos, pedales aut cubitales, versus florem incrassatos & fistulosos. Folia sunt dentata, ad oras & ad nervos dorsales villosiuscula, facie glabra; radicalia ex oblongo versus basin attenuata, etiam subpetiolata, semipedalia; caulina lanceolata, acuta, sessilia aut amplexicaulia. Calyx magnus, ex atro virens ac valde hirsutus constat squamis ex oblongo acuminatis & crassis. Corollæ flavæ ad apicem sæpe connivent. Antheræ sunt luteæ. Semina oblonga pappum gerunt sessilem longum & ad lentem denticulatum. Receptaculum est planum, punctatum, nec ullas paleas habet. Crescit in alpium Austriæ non tantum, sed & Styriæ, Tyrolis, Hungariæque jugis herbidis, florens Junio & Julio. Ex Austriæ alpiis primus mihi attulit eruditus Sigisbertus Schivereck, medicinæ studiosus, rei herbariæ peritissimus, plantarumque indagator strenuus & indefessus, cujus excursionibus Botanicis in perficiendo hoc opere sublevor non mediocriter, ut publicas meas illi debeam grates.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA PRIMA.

HIERACIUM ALPESTRE.

Hieracium alpinum. *Jacq. vindob. pag. 141.*

Quamvis Hieracium hocce cum Hieracio alpino, planta variabili, cum quoad determinationem, tum ratione loci natalis, conveniat, quare olim pro illo, mihi tunc nondum cognito aut viso, habueram, differt tamen ita, ut conjungi nequeat. Prata subalpina sylvatica copiosissime incolit, florens Junio, semina perficiens Julio. In horto cultum floruit Majo. Utrobique habitus sui tenax. Radix perennis, sæpe præmorsa, alias in fibræ attenuata, fibris etiam aucta, fusca, rarius multiceps, caput gerit a præteritis foliis squamosum. Folia radicalia plura, oblonga, virentia, obtusa vel acutiuscula, idque etiam non raro cum exiguo mucrone, magis minusve profunde dentata, sæpe ut evadant inferne pinnatifida, versus basin attenuata, duas tresve uncias longa, tota glabra vel utrinque & ad oras brevissime villosa; nec pilis longis obsita, uti in Hieracio alpino. Caulis passim unicus, raro plures, tum tamen etiam senos numeravi in multicipite planta, teres, erectus, striatus, superne subvillosus, duobus alternantibus aut unico folio sessili radicalibus simili ornatus, plerumque simplicissimus & flore solitario terminatus, interdum ex axilla ramo unifloro auctus, a quinque ad decem uncias longus. Quandoque caulinorum folio-



liorum vices suppleantur a stipulis. Calyx pilis nigricantibus est hirtus. Corolla lutea. Semina longa gerunt pappum pilosum sessilem & simplicem. Tabula sistit plantam vulgariorem, eandemque minus obviam bifloram foliisque pinnatifidis donatam.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA SECUNDA.

DRABA AIZOIDES. *Linn. syst. pag. 432.*

Draba alpina. Jacq. vindob. pag. 254. Scop. carn. 2. pag. 5. Crantz. fasc. pag. 13.

Draba caulibus nudis; foliis linearibus ciliatis. Hall. hist. helv. num. 498.

Sedum minus duodecimum, alpinum sextum. Clus. hist. LXII.

Sedum petraeum montanum. Lob. ic. 381.

Sedum alpinum hirsutum luteum. Bauh. pin. 284.

Leucoium luteum aizoides montanum. Col. ecphr. 2. pag. 62.

Alysson alpinum hirsutum. Scheuchz. it. pag. 509. fig. 8. Mill. ic. 20. f. 2.

Elegans plantula ex radice perenni, tenui, longa, fuscescente, ramosa, terete, & multicipite, rosulas emittit foliosas, sæpe ampliores componentes cespitem. Fiunt hæc ex foliis numerosis, sublinearibus, acuminatis, crassulis, virentibus, per pilos albos longosque ad oras ciliatis, nitidis, planis, a tribus ad octo lineas longis, post marcescentiam diu persistentibus. Ex rosularum centro scapus erigitur teres, aphyllus, glaber, ab una ad quatuor uncias altus, in summitate flores aliquot racemose gerens; ratione plantulæ fat magnos. Calycis foliola concava, obtusa, sublinearia, & patentia ex luteo virent. Petala oblonga, lutea aut flava, ungue brevissimo donata, plana, obsolete emarginata vel obtusissima, & patentissima calycem fere bis superant. Stamina corollæ colorem sequuntur. Stylus staminum longitudine coronatur stigmatibus simplicibus capitato. Silicula lanceolata, acuta, primo atrovirens, postea flavescens, compressa, stylo acuminata, modo glaberrima, modo minutis pilis albidis hispida, utrinque semina includit subovata a quinque ad octo, compressa, flava, Julio & Augusto matura. Crescit in altioribus alpium jugis petrosis. Floret pro varia loci altitudine ab Aprili ad Junium. Statura ex eadem etiam ratione valde discrepat.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA TERTIA.

ORCHIS ABORTIVA. *Linn. syst. pag. 591. Jacq. vindob. pag. 163.*

Orchis abortiva violacea. Bauh. pin. 86.

Epipactis aphylla, calcare longo, labello ovato lanceolato. Hall. hist. helv. num. 1288. tab. 36.

Pseudolimodorum. Clus. hist. 270. cum icone aliena.

Limodorum austriacum. Tourn. inst. 437.

Rara apud nos, tota glabra & elegans planta; cujus radix componitur ex numerosis fibris, calamum crassis, duas circiter uncias longis, fasciculatis, subhorizontaliter quadravorsum porrectis, carnosis, ex luteo fordentibus, senioribus fuscescentibus, saporis ingrati. Scapus teres, firmus, solidus, erectus, sesquipedalis vel altior, ex violaceo obsolete virens, vestitur ad singulos nodos bracteis vaginantibus longis striatis concoloribus & arte amplexantibus. Cæterum foliis tota planta caret. Spica ipsa, in quam raram scapus abit, a quinque ad decem uncias longa est, ac paulatim producit, flores continens ab octo ad sedecim, inodoros, erectos & appressos ad scapum. Spathæ, germen pedunculumque amplexantes, quibus paulo longiores, acuminatæ & erectæ pallide virent. Pe-

T. 191.

